



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

9. Novembris. Quòd si quis improvidè aliquid elegit, quod non licet retractare, reliquum est, ut ubi cum cœpit pœnitere facti, electionis damnum probitate evitæ, & operum solertiâ compenset. S. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

novare cicatricem, nisi quòd novus fracti
dolor infligatur.

Nec loquendi tantùm, sed & aliena vi-
tia audiendi pruritus in vitio est: si enim
non invenirent benevolos auditores, pau-
ciores forent, qui similia loquerentur. Sepi
aures tuas spinis.

9. Novembris.

*Quòd si quis improvidè aliquid elegit, quod
non licet retractare, reliquum est, ut ubi
eum cœpit pœnitere facti, electionis dam-
num probitate vite, & operum solertia
compenset. S. Ignat. de regul. elect.*

Heu! quoties pœnitet facti; sed eos,
qui cœco rapti impetu consilium
non admiserunt. Sinè deliberatione moliri
magna, est clausis oculis ad præcipitium
properare.

Si mutare, quod elegisti, non possis, po-
tes corrigere. Capiendum est in arena
consilium; facienda ex necessitate virtus,
& prior imprudentia præsentis consilio mi-
tiganda: Si redire non licet, licebit minus
errare.

Etiam in rebus sequiùs electis relictus
est aliquis solatio locus, divinæ id ipsius
ad.

adscribamus providentiæ, ut ex uno reli-
quos vitare errores condiscamus. Carò sic,
bene tamen emitur prudentia.

Etiã mala electio, si rite uti sciamus, bo-
na parturiet; in satisfactionem criminum,
in morum emendationem, in augmentum
meriti, difficiliora serviant, si vitari non
possunt. Sic ex spinis patientia leget rosas.

10. Novembris.

*Modestia sufficiens incitamentum, imò ex-
hortatio sit ex solo intuitu quemlibet com-
ponendi. S. Ignat. apud Ribad.*

Sicut in solem, ita in hominem virtutis
studiosum plurimorum oculi conver-
tuntur, latere nequit, quantumvis velit,
etiam post siparium; ut ille sub nube obser-
vatur. Sic proinde agat, ut non videatur
sinè utilitate intuentium.

Muti oratores eloquentibus præstant,
hi ore, manu illi perorant, ideò faciliùs
trahunt in sequelam; nemo prope ignem
agit, quin & lucem accipiat, & calorem;
nemo conversatur cum bono, quin fiat
melior.

Christi bonus odor esto; nemo te videat,
quin à te virtutem discat. Sic largiri, nihil